



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 101. ad 125.

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1764

VD18 15558428-001

Psalmus CXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53433)

vam, cūm resurrexero in resurrectionem vi-
tæ.

ψ. 176. *Erravi sicut ovis, quæ periit, quære
servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

Erravi enim à patriâ expulsus, & adhuc ex-
ul erro ob culpam parentis primi : & erravi,
sicut ovis, quæ seducta periit, non sicut Dia-
bolus, leo rugiens, qui ex malitiâ cecidit.
Quære ergo servum tuum : licet enim ex parte
quæsieris, & inveneris, quatenus animam
reconciliasti Deo ; tamen adhuc quærenda est
ovis perdita, quatenus expectat redemptio-
nem corporis sui, ut tota ad montes cælestes,
& uberrima pascua, ubi relictæ sunt nonagin-
ta novem, quæ non errarunt, perducatur,
confidenter autem peto salutem animæ, &
corporis, *quia mandata tua non sum oblitus.*

PSALMUS CXIX.

Titulus, & argumentum : *Canticum gra-
duum.*

*Psalmi 15. proximè sequentes, hunc titulum
præferunt : totidem scil. erant gradus, quibus as-
cendebatur ad templum Salomonis. Hi gradus fi-
gura fuerunt ascensionis Electorum, qui per gradus
virtutum, ac præcipuè charitatis, ascendunt de
valle lacrimarum ad cælestem Jerusalem.*

¶ 1. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi,
& exaudivit me.*

Loquitur de tribulatione, quam passus est à linguis dolosis. Ego cum tribularer, non respexi ad auxilium hominum, sed clamavi in oratione ad Dominum, & ille pro sua pietate exaudivit me.

¶ 2. *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.*

Docet, quid oraverit clamando. Dixi, Domine libera animam meam à labiis iniquis, quæ proferunt detractiones, convicia, calumnias &c. & à lingua dolosa, quæ profert verba deceptionis, adulatoria, simulatoria, fraudulenta. Dicit animam meam pro me; vel vult à talibus verbis lædi animam inductione ad peccatum.

¶ 3. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?*

Indicat gravitatem mali, quod est lingua dolosa, à quâ petit liberari. Quid enim mali dari, aut addi posset supra malum linguæ dolosæ? Illud tibi otiosum esse videtur ex phrasî Hebraicâ.

¶ 4. *Sagitta potentis acuta, cum carbonibus desolatoriis.*

Eleganti simili docet, quale malum sit lin-

gua dolosa, nempe non esse qualescunque sagittas, sed *potentis*, h. e. à robustâ manu cum impetu emissas, ab artifice bene politas, & acutas, demum adeò ignitas, ut quidvis desolari, & vastare possint, ut sunt fulgura caelestia, quæ ab omnipotenti manu mittuntur. Igitur talia sunt verba dolosa, præsertim si sint instrumenta Diaboli ad occidendas animas, quæ Ephes. 6. vocantur *Tela nequissimi ignea*.

ψ. 5. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus cedar: multum incola fuit anima mea.*

Ex occasione tanti mali, & tam frequentis suspirat ad patriam, & sic ex corde cantat canticum ascensionis. Heu mihi! nimis longa est præsens vita, in quâ peregrinor à Deo; nec mirum: habitavi enim hucusque cum barbaris, & efferatis gentibus, quæ non habitant in urbibus, sed in tentoriis, usque nigris, & rusticis, quales sunt Arabes: nimis longus fuit incolatus meus in terrâ alienâ. *Cedar*, hebraicum, latinè significat *nigredinem zenebras*.

ψ. 6. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Ideo malum est tamdiu peregrinari, quia*
quia

quia ego, qui nihil diligo magis, quam pacem, habitavi cum mihi dissimilibus, cum perversis, & adeò injustis, ut non solum cum hostibus, sed etiam cum amicis belligerare soleant: & si fortè loqui de pace incipiebam ad illos, ipsi sinè ullâ causâ magis me impugnabant.

Psalmus omnibus electis convenit, sed præcipuè capiti electorum Christo, quatenus viator erat in carne passibili. Verè clamavit ad Dominum, pernoctans in oratione Dei, in horto, demum in cruce; & verissimè exauditus est, cum exaltaverit illum Deus, dando nomen super omne nomen. Verè, ut patet ex Evangelio, passus est *labia iniqua, & linguas dolosas*. Verissimè *incolatus ejus prolongatus est*, cum dixerit: *generatio adultera, & incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar?* Et licèt ipse lux esset, & habitaret in lumine, tamen *cum habitantibus cedar* visus est, & inter eos conversatus. Verè cum iis, qui oderant pacem, erat pacificus, quia *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*; & cum loqueretur illis de pace, de charitate, de Regno Dei, ipsi contrâ eum impugnabant sinè ulla causâ; *odio habuerunt me gratis, Joan.*

15.

M 4

PSAL.